

apicem turris propositæ, tunc similiter vide quot partes abscindat regula, earumq; denominatorem nota; ut si abscindat 3, earum denominator erunt 4, quater em. 3. dant 12, hoc est, totum scilicet scilicet latus. Subtracto nunc priore denominatore à posteriori, nempe 2 à 4, relinquuntur 2, per quæ spatium inter utramq; stationem interiaccens diuide, ut si spatium sit pedum v. g. 64, diuisum per 2, relinquet 32. pedes, quib. si addas staturam tuam ab oculo ad terram v. g. 5. ped. (uti in altitudinibus capiendis facere semper oportet) inuenta est altitudo turris propositæ 37. ped.

Demonstratio facilis est, nam, cum Regula secet latus umbræ versæ, sicut partes resectæ se habent ad totam scalam, ita turris ad spatium inter te & turrim interceptum: sed in 1. statione regula tetigit 6, quæ sunt subduplum ad totam scalam; ergo etiã turris, dempta statura sua, subdupla erit ad spatium inter te & ipsam interceptum. In secunda verò statione partes tactæ sunt 3, quæ sunt subquadruplum ad totam scalam, ergo etiam turris, dempta statura minoris, subquadrupla erit ad spatium inter te & ipsam comprehensum: prius igitur spatium bis continet turrim; secundum, quater; utrobique; tamen dempta statura tua. Ablato igitur priore spatio, quod mensurari non potest, à posteriori, relinquitur spatium posterius, quod est duplum ad turrim; eius igitur media pars unã cum statura tua præcisè est altitudo turris propositæ.

TVRRIS SVPRAMONTEM SITÆ VÆNARI

altitudinem. Prop. X.

• Metire primò per regulas superius traditas montis ac turris altitudinem simul sumptam, deinde montis altitudinem separatim; quo factò, subtrahere montis altitudinem à tota altitudine, residuum erit altitudo turris.

PLANI A LICVIVS METIRI LONGITUDINEM

Propos. XI.

Sicuti prius per longitudinem seu spatium notum devenimus in cognitionem altitudinum; ita hinc vice versa, per altitudinẽ

G 3 cogni-